



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispvatio VI. De Naturâ & Arte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

EXPLICATA essentia compositi naturalis in ordine ad se, oportet iam de illa in ordine ad operationem disputare.

DISPVATIO SEXTA.

De Naturâ & Arte.

SECTIO I.

De Naturâ.

VARIAS naturæ acceptiones tradunt PP. Conimbricenses lib. 2. quæst. 1. articulo 1. & Hurtadus Disputatione 7. sectione 1. Nos vnam vel alteram afferemus, quæ necessaria sit pro tractandis in hac Disputatione.

Primò igitur sumitur Natura pro Deo, quem nonnulli barbarè vocant *naturam naturantem*, id est producentem alias naturas, quas dicunt *naturas naturatas*. Secundò accipitur natura pro essentia & quidditate rei; quo pacto dicimus, in tribus personis diuinis vnam tantum esse naturam. Tertiò accipitur pro totâ vniuersitate agentium creatorum, & eam agentis increati, quatenus operatur conformiter ad rerum exigentias; vnde quicquid fit contra illas, dicitur esse supernaturale & miraculosum. Verum autem possit in hoc sensu esse aliqua substantia supra naturam seu supernaturalem, tractauimus in materia de Visione Dei, ubi eam reieci, & modum loquendi aliquorum, in re tamen nobiscum conuenientium, explodi. Quartò pro viuientium generatione, à nascendo; & hinc translata est natura ad significandum internum cuiusque rei principium, siue viuens sit siue non. quo sensu ita in præsentia definitur ab Aristotele: *Natura est principium & causa motus & quietis eius, in quo primò & per se, & non ex accidenti inest.*

Principium & causa ponuntur ad excludendam à ratione naturæ priuationem, quæ licet sit principium, non tamen est causa. Fateor, etiam eam aliunde excludi, quia cum non sit de essentia compositi, non potest esse natura.

Motus intelligitur communiter motus physicus & corporeus. Verum arbitror ab Aristotele prædictis verbis solum significatum motum in communi, prout abstrahit à corporeo & spiritali, alioquin ipse expressisset de quo loqueretur, quare etiam Angeli in hac definitione continentur. Per *quietem* intelligitur permanentia in termino acquisito.

Sed est difficultas, vtrum natura debeat necessariò esse principium motus & quietis, an verò sufficiat esse vel quietis vel motus, disiunctiue. Affirmant aliqui, debere esse collectiue, quia id sonat particula &, alioquin hæc propositio *Petrus & Paulus currunt* esset disiunctiua, quod fal-

sum est. Sed non vrget: quia quando illa particula in aliqua propositione intelligitur ab omnibus communiter in sensu disiunctiuo, parum interest, si ex se videatur facere sensum copulatiuum, vt cum dixit Christus Regulo Ioan. 4. *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis*. Item cum dixit Ioan. Epist. 1. cap. 2. *Hic est Antichristus qui negat Patrem & Filium*, non dixit necessum esse negare vtrumque collectiue, vt quis censereur Antichristus, sed sufficere si neget alterutrum illorum. Quòd si in sacra pagina licet eam particulam sic explicare, cur non licebit in Aristotele, præsertim cum communis schola ita eam intellexerit; nec potest aliter intelligi, si bona sit Aristotelis definitio: nam tota terra non est principium motus sed quietis, licet sit natura. Item totus globus terræ, vbicumque ponatur, quiescit, etiam si aliquæ illius partes moueantur ad centrum. Video, hinc posse esse questionem de nomine. Si enim nomine motus non intelligatur motus localis, sed acquisitio alicuius forme per receptionem, certum est, de conceptu naturæ esse, vt sit principium motus & quietis, id est, vt possit recipere in se formam aliquam, siue ea sit successiua siue non. tunc autem potest etiam dici quod ipsa acquisitio illius perfectionis. Si verò nomine *motus* successiuus tantum intelligatur, non videtur necessarium, vt omnis natura sit principium talis motus: licet enim esset per possibile vel impossibile aliqua creatura composita capax aliquarum operationum, quæ tamen non possent naturaliter perire, neque ipsum compositum qualitates alias de nouo posset habere, certè illud verè esset natura. & in hoc sensu paulò antè locutus sum, negans esse de conceptu naturæ motum & quietem copulatiue.

In quo primò & per se, & non ex accidenti inest. Per hæc verba excluditur Deus & Angelus à ratione naturæ, quia non insunt primò & per se alicui subiecto, cum sint essentialiter simplices. imò etiam excluditur corpus simplex completum, propter eandem rationem. Deinde etiam excluditur totum in ratione totius, quia totum non inest primò & per se alicui, includuntur autem partes seorsim, quæ insunt toti. Vbi aduerte, humanitatem v.g. in nostrâ sententiâ propriè esse naturam, quia inest supposito, respectu cuius est pars. Et idem est de aliis omnibus naturis in abstracto significatis. At in sententiâ Aristotelis, qui substantiam distinctam à naturâ non agnouit,

uit, propriè humanitas non est natura in acceptione posita, quia non inest alteri: sed partes secundum se dicuntur natura, quia insunt inuicem, & toti à quo distinguuntur, qualibet inadæquate ratione alterius, & ambæ etiam ratione unionis quam totum dicit. Formæ autem accidentales etiam propriè insunt subiecto, & sunt causa motus & quietis, quia tamen non insunt primò & per se, sed accidentaliter & secundariò, excluduntur à ratione naturæ in hac acceptione.

6 Ex dictis inferitur contra P. Vasquez Tom. 1. in 1. 2. disput. 25. nym. 20. materiam primam esse propriè naturam, quia est principium motus saltem receptiuum, quod sufficit ad rationem naturæ. Neque oppositum docuit Aristoteles 5. Metaphysicorum cap. 4. dum dixit, omnem substantiam dici metaphoricè naturam propter formam: nam ut PP. Conimbricenses questione 1. art. 2. benè explicant, solum docuit, analogicè dici naturam materiam & formam, sicut in ipsius sententiâ ratio entis est analogâ ad accidens & substantiam; quo non negatur, propriè conuenire accidenti rationem entis, & materiæ rationem naturæ; hæc autem analogia inde desumitur, quia forma non solum est principium receptiuum, sed etiam actiuum: materia autem solum est principium receptiuum motus, iuxta Aristotelem; unde principalis ratio naturæ participatur à formâ, quàm à materiâ, ab utraque autem absolute & simpliciter. Aduerte etiam, materiam probabiliter esse principium actiuum suarum passionum, sicut & sunt omnes aliæ essentiae. Alia autem Aristotelis loca, quæ pro se Vasquez adducit, benè explicantur ab Hurtado §. 16. Ea omitto, quia facilia sunt.

7 Rogabis, utrùm vnio sit natura. Hoc certum, ipsam primò & per se, & non ex accidenti inesse toti. Deinde, ipsam esse principium saltem passiuum motus, v. g. vicationis & durationis intrinsecæ ipsi vnioni. Ex hoc inferitur, eam esse dicendam propriè naturam. Quod si id ab aliquibus negatur, solum in nomine à nobis differunt; in re enim nulla potest esse difficultas, ex dictis.

SECTIO II.

De composito artificiali.

Ex cognitione compositi artificialis perfectior euadet cognitio naturæ, de quâ in præfati. Aduerte, non esse sermonem de eis artefactis, respectu quorum ars nihil efficit nisi applicare agentia naturalia, quibus applicatis, natura producit aliquem effectum, ut ex mixtione & distillatione corporum, & in productione aliquorum animantium, v. g. apum in mortui bouis ventre, si fimo tegatur, &c. quæ omnes generationes absolute sunt naturales. Et de his non est nobis sermo, sed præcisè de his quæ propriè sunt entia artificialia, ut v. g. de picturâ, statuâ, &c. circa quæ primò dubitatur quid sit artificialis forma.

8 Nonnulli arbitrantur, in eiusmodi artefactis formam artificialem esse aliquid distinctum ab omnibus partibus & vicationibus rei artificiosæ, & eam formam produci non à naturâ, sed ab artifice. Hæc sententia omnino est improbabilis,

ideoque dicendum puto, formam artificialem, picturæ v. g. non esse quid distinctum ab omnibus coloribus, & eorum vicationibus. Probat euidenter, quia eo ipso quod intelligamus eos colores cum tali & tali vicatione in tabulâ, nullâ aliâ formâ artificiali superintellectâ, intelligitur pictura; sicut in characteribus, qui etiam sunt entia artificiosa, nihil aliud est necesse intelligere, nisi atramentum hoc vel illo modo vicationem. Idem clariùs intelligitur in statuâ ligneâ vel lapideâ: nam præcisè per ablationem superfluarum ac impediendum partium (quod solum præstat statuarius dedolans vel lignum, vel marmor) ceteræ quæ remanent, sine vllâ nouâ formâ & distantias & proportionem expressiuam hominis retinent, efficiuntque statuam; ergo ibi non producitur forma artificialis distincta à partibus ligni taliter vicationi, & à carentiâ partium redundantium. Patet consequentia: quia præcisè auferendo partes aliquas ligni, non potest artifex positiuam formam substantialem producere in his quæ remanent; nam eas reliquit ut antea, & solum ab eis alias separauit. Et confirmo: si separasset alias diuerfas, ita ut non fecisset statuam, certè non habuisset diuersam actionem speciei, & tamen tunc non produxisset vllam formam physicam, ergo neque iam. Patet consequentia, quia eadem actio in specie nequit iam esse productiua formæ substantialis vel accidentalis, iam verò non.

Aliqui Auctores, negantes figuram dicere carentiam partium superfluarum, dixere, statuam B. Virginis v. g. non esse aliud, quàm ipsas partes positivas ligni, siue alia ablata sint siue non: preli autem argumento à me immediatè antè facto de ligno, quod antequam dedoletur, non est statua, ergo ratio statuæ dicit essentialiter eam carentiam; responderunt, etiam tunc in eo ligno esse actum & formaliter statuam, etiam antequam tangatur. Sed quis non videat, quàm sit hæc opinio absurda? sequitur enim, actum & formaliter quancumque arborem vel truncum, lapidem, &c. esse actualem imaginem Christi Domini crucifixi, eo quod in eo trunco sunt partes positivæ, quæ si alia auferrentur, facerent imaginem Crucifixi. unde etiam ante quodlibet lignum vel lapidem, tamquam ante veram imaginem Christi Domini, possemus & flectere & orare. Imò sequeretur, quemcumque lapidem vel lignum esse actualem & formalem statuam omnium rerum, hominum, leonum, equorum, &c. etiam rerum possibilium simul & semel: quia si, ut actum sit imago alicuius, non requirit actum auferri partes, ex quarum ablatione posset apparere imago, sed sufficit habere eas positivas partes, quæ facerent eam statuam; certè cum actum habeat lapidis magnitudinem sufficientem, ut cuiuscumque ex possibilibus animantibus, aut hominibus, aut aliis rebus, formaretur imago sine additione nouâ, certè actum & formaliter erit omnium illorum actualis imago, simul Dei & diaboli, hominis & vulpis, elephantis & ranæ: quo nihil absurdius dici potest.

Secundò sequitur, cum quis effundit atramentum supra chartam, realiter, verè & propriè formare characteres omnes possibiles, Græcos, Hebræos, Latinos, Germanicos, Vngaricos, &c. & perfectissimos, qui à Deo etiam formati possint:

imò ibi scripta esse verba omnia possibilia in omni lingua, quia ibi est atramentum sufficienter extensum, ut, sine additione vllâ, per solam ablationem earum partium quæ superflue sint, formari possint omnes characteres, etiam nobilissimi, & quodlibet verbum ex omnibus in rerum naturâ possibilibus. Ergo cum isti, ut actu ibi existant formaliter ea verba, non requirât earum partium ablationem, actu erunt ibi omnia; & qui duos chartæ digitos eo atramento impleat, omnia illa actu scripsit, conceptus, argumenta, eonctiones, &c. Dicere autem hoc, planè videtur stultitiæ genus. Nec potest dici vulgariter cum non scripsisse, sic verò Philosophice. Hoc, inquam, dici non potest, quia Philosophi quò meliores, eò magis eam doctrinam ridet, eò quia sibi magis contrariam. Deinde, quia sequetur, Philosophicè loquendo, Philosophiam acutissimam scripsisse, qui atramento impleuit chartam, etiam si vulgariter non scripsisset Philosophiam, quod adhuc peius est. Ego tanè non volo talis esse Philosophicè Philosophus, aut Theologus.

12 Alij Auctores, cum affirmant, formam artificialem non esse aliquid reale distinctum à partibus & earum vicationibus, addunt tamen, eam non consistere formaliter in ipsis vicationibus. Et mouentur, quia artifex non intendit producere vicationes colorum v. g. sed illam distantiam & coordinationem colorum inter se. Confirmât, quantumvis vas aureum vel ligneum mutetur localiter, adhuc est idem vas, & habet eandem formam artificialem, sed tunc non habet easdem vicationes quas antea, ergo vicationes non erant forma artificialis vasis. Idem est in picturâ. Quis enim dicat, diuersam esse picturam ex eo quod sit in foro, vel in templo, vel domi? cum tamen certum sit, vicationes illius esse diuersas in templo, & diuersas in foro, &c. ergo illa forma artificialis non consistebat in vicationibus, sed in distantia partium inter se, quæ cum maneat eadem quocumq; feratur pictura vel vas, manet etiam eadem forma artificialis.

13 Hæc opinio improbabiliior est præcedenti, impugnaturque clarus, quia ipsius Auctores nihil agnoscunt reale in picturâ, nisi colores & eorum vicationes: nam forma artificialis non est distincta realiter ab his duabus rebus in eorum sententiâ, dum sic arguuntur: Artifex non producit colores, ergo solum producit eorum vicationes, sed per te artifex producit formam artificialem, ergo hæc non est distincta ab vicationibus. Patet consequentia, quia forma producta ab artifice non est aliud per te quàm ipsæ vicationes, alioquin iam adderes cum prioris sententiâ Auctores formam aliquam artificialem distinctam à partibus, & earum vicationibus, quod à te negatum est. Confirmatur: quia distantia omnium rerum inter se non est aliquid distinctum ab earum vicationibus, sicut diuersitas inter albedinem & nigredinem non est aliquid distinctum ab entitate albedinis & nigredinis (quod fusiùs probabitur, dum de Prædicamentis Situs egerimus) sed per te distantia partium est forma artificialis, ergo forma artificialis sunt ipsæ vicationes, à quibus non distinguitur ea 14 distantia. Et propterea dixi, hanc sententiam esse improbabiliorem præcedenti, quia illa solum

ponebat vnâ formam ouosam, hæc autem cum nihil distinctum ab vicationibus ponat, in quo consistat distantia, ait tamen produci distantiam, non verò vicationes; has destrui, illam non, quod omnino repugnat.

Ex his infero, physicè loquendo, mutari inadæquatè figuram & formam artificialem, quod tunc mutatur loco mutatur res artificiosa, quia tunc mutantur vicationes, à quibus non distinguitur talis figura saltem inadæquatè. Mutatur etiam distantia partium, quæ in ipsis vicationibus adæquatè consistit: in ordine autem ad apprehensionem nostrâ, & moraliter loquendo, non mutari figuram, quia succedunt aliæ vicationes eodem modo distantes inter se ac priores; sicut moraliter loquendo eodem modo dicitur quis stare vel sedere, siue habeat hæc siue illas vicationes, dummodò sint omnino similes inter se; & siue feratur huc siue illuc in sede. Et hinc responsum est argumentis aduersariorum.

Sed obijciat: Ergo qui mouet figuram, v. g. statuam, erit causa illius formæ artificialis, cum sit causa vicationum, in quibus consistit forma artificialis. Respondeo, hominem mouentem figuram physicè loquendo producere nouam & distinctam inadæquatè formam artificialem, quia producit nouas vicationes; non tamen censeri vllò modo esse artificem vel auctorem illius figuræ, quia non primò produxit eas vicationes distantes inter se, & constituentes formam artificiosam, sed potius ex dispositione priori ab artifice productâ necessario sequitur secunda ad motum localem illius figuræ, & hoc sine vllâ arte requisitâ in mouente figuram.

Secundò potest in præsentî dubitari, verum ars, quæ est in artifice, concurrat efficienter ad opus artificiosum, an verò solum directiue. Disputatione 1. Logicæ Sect. 5. ostendi, actum intellectus docentem artificiosè definire ac diuidere, &c. solum concurrere directiue: quod idem 16 videtur dicendum de aliis artibus, de quibus rursus idem probatur, quia ars existit in mente & in cerebro, ergo non habet sufficientem approximationem, ut possit efficere vicationes colorum in tabulâ vel in pariete. Et idem est de aliis artibus, quarum opera semper sunt distincta localiter ab arte residente in cerebro. Et ratio à priori est, quia ars non dat virtutem Physicam ad ponendos colores in tabulâ, sed solum dirigit virtutem Physicam motiuam manus, ei dictando vbi debeat illos collocare, sicut qui me docet quâ sit eundem Romam, non addit mihi virtutem physicam ad deambulandum (hanc enim à me ipso habeo) sed solum ostendit quâ parte debeam exercere eam virtutem physicam locomotiuam, vel ambulatiuam. Confirmatur: quando quis dirigit discipulum, non potest immediatè physicè concurrere ad actus illos, ut per se est notum, ille enim percipiens quæ Magister dicit, solus postea 17 ea physicè exequitur.

Respondenti aliqui, tunc produci artem in mente discipuli, quæ immediatè physicè concurrat. Sed contra Primò, ergo quando medio aliquo bruto exequor rem artificiosam, produco in mente illius artem aliquâ quæ physicè influat in opus, quod est ridiculum. Contra Secundò, ergo si vel semel discipulus exequitur quæ à Magistro

gistro audit, iam habet in se artem productam quæ influat postea, & consequenter iam erit Magister, nec noua doctrinâ indigebit. Constat ergo, tunc discipulum sine arte acquisitâ, solum percipiendo quæ audit, operatum esse.

Obiicies Primò, Ergo ars nec directiue potest concurrere ad artefactum, cum ab eo distet localiter. Nego consequentiam: quia ut concurrat directiue, sufficit ut eadem anima, quæ mouet immediatè manum, cognoscat per cognitionem existentem in ipsâ animâ in cerebro, etiam si cognitio non existat in manu, quia eadem est anima in utroque loco. Quocirca autem in brutis cognitio existens in capite, determinet alias actiones distantes, dicam Disputatione 1. de Animâ à num. 164.

Obiicies Secundò: Si ars solum influeret directiue, posset opus artificiosum fieri sine illâ,

quod est falsum. Nego Primò consequentiam, quia non solum requiritur ad opus causa efficiens, sed etiam directiua, ut patet in voluntate non valente amare sine cognitione, cum tamen cognitio non influat efficienter, sed solum directiue in amorem. Similiter lux non influat physice in meum motum localem, sed solum directiue, & tamen sine luce non poterit quis sine periculo errandi & cadendi per loca aspera incedere. Deinde distingo consequens. Potest absolute res artificiosa fieri sine arte, concedo consequentiam: potest enim homo vel nihil cogitando ita massam aliquam v. g. disponere, ut vel canis, vel hominis, vel alterius rei figuram efficiat. Potest ita facillè, & sine periculo errandi sine arte ac cum illâ, nego consequentiam, ut in simili de Logica Disputatione 111. à num. 35. dixi, & res est per se clarissima.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Causis incommuni.

TOTA hæc Disputatio de Causis incommuni & in particulari, valde utilis est ad vniuersam Philosophiam & Theologiam, idè oportet, quæ in eâ dixerimus, præ oculis habere.

SECTIO I.

Definitur Causa incommuni.

VARIAS causæ definitiones tradunt Conimbricenses 2. Physicorum cap. 7. quaestione 7. Pererius lib. 8. Physicæ cap. 1. P. Suarez Disputat. 12. Metaphysicæ sect. 1. Hurtadus Disputatione 8. Physicorum quaest. 1.

Prima, quæ nonnullis arridet, est, quam tradunt Conimbricenses supra art. 1. scilicet, *Causa est id, à quo aliud per se dependet*. Mihi tamen non placet, quia effectus etiam per se pendet ab aliquibus conditionibus, v. g. ab indistantiâ & approximatione cum causâ, & tamen illæ conditiones non sunt causæ.

Secunda est P. Suarezij supra, *Causa est principium per se influens esse in aliud*. Hanc reiciunt nonnulli, quia etiam iuxta illam Verbum diuinum unitum humanitati Christi Domini erit causa intrinseca Christi, quod falsum est. Hæc impugnatio non vrget, quia Verbum non influat esse in Christum Dominum; nam *influeret* dicit productionem, Verbum autem non constituit Christum Dominum illum producendo, vel influendo aliud esse in illum, sed solum componendo intrinsecè, se ipsum humanitati communicando, quod proprie non est causare, nec influere, ut alibi dixi. Deinde, Verbum diuinum non potest dici absolute aliud à Christo, quia includitur in ipso Christo, sed aliud ab humanitate, quam non componit; sicut etiam ipsi Auctores, qui præfato argumento vtuntur, docent ob eandem rationem non posse dici, Christum esse aliud per se dependens ab humanitate; unde in-

ferunt, illi non conuenire definitionem causæ traditam à Conimbricensibus; ergo nec conuenire, ob eandem rationem quæ traditur à Suarezio, cum in vtraque requiratur, effectum esse aliud à causâ, & differentia solum sit, quod Conimbricenses vtuntur verbo *dependere*, Suarez autem *influeret*; Christo autem Domino non minus conuenit *dependere* à Verbo, quam ab eo accipere influxum: imò dependentia verè conuenit, influxus autem non (ut ex dictis constat) ergo Verbo respectu Christi non magis conuenit definitio P. Suarezij, quàm definitio Conimbricensium, sed potius è contrario magis conuenit Conimbricensium quàm Suarezij.

Aliunde impugnatur definitio P. Suarezij ad hominem quidem, quia ipse docet, Christum Dominum se ipsum producere in Eucharistia, & esse causam sui, ergo non est de ratione causæ, *influeret esse in aliud*, tunc enim Christus est sui causâ, & non influat in aliud. Deinde, quia etiam principium per se influat esse in aliud, v. g. Pater æternus, qui est aliud suppositum à Filio, per se influat esse in aliud suppositum, & tamen non est causa Filij, ergo ea definitio non est propria causæ, quia (ut bene Hurtadus notauit) etiam potest dici Verbum aliud à Patre non in naturâ, sed in supposito.

Alij causam sic definiunt, *id à quo aliquid pendet ut ab influente per se*. Per *ut pendet* excludunt principia, de quorum ratione non est dependentia effectus ab ipsis, ut patet in Patre æterno, à quo non dependet Filius, etiam si Pater sit principium illius; & hinc dicunt, Patrem non esse causam Filij diuini, neque utrumque causam Spiritus sancti. Sed contrâ clarè, quia Filius verè dependet à Patre; quia *dependere* nihil aliud est, quàm egere illo ad sui existentiam, Filius autem non potest esse sine Patre, ergo eget illo, ergo dependet ab illo, ergo causatur ab illo. Idem argumentum fit in Spiritu sancto. Sed respondent, negando Antecedens, quia dependentia dicit produci essentiam: cum autem, etsi producatur Filius à Patre